

unam, quae incidit in tempora Christi. Eadem tamen in designando hoc terrae motu, qua antea, nos premi difficultate ex multiplici & numero & varietate terrae motuum, qui post Christum nati fuerunt, orta, facile intelligimus. Saepius enim a nato Christo terra vehementissime quidem commota est, hora scilicet Iesu fatali, hora resurrectionis Christi gloriosissima, hora effusionis Spiritus S. taceo reliqua, quae commemorasse parum iuvabit. Nostrum potius est, terrae motum singularem & unum afferre, qui Mosaico illi oppositus est. Atqui terrae illa concussio, quam, non tanquam ab auctore, sed a temporis determinatione, Mosaicam diximus, facta est in solemnibus V. T. inaugurationibus, quamobrem & hic duntaxat de eo terrae motu cogitandum, qui inter solemnibus inaugurationibus N. T. referendus est. Antequam vero hunc definiamus, opus est, ut de eo temporis momento dicamus, quo N. T. modo solemnissimo inauguratum esse censemus. Per vulgatum est, nondum inter eruditos de eo convenisse. Sunt, qui ei horam nativitatis Christi statuunt; sunt etiam, quibus commodius videtur, initiationem N. T. ab auspiciis muneris Christi, vulgo dicti prophetici, repeti posse; sunt denique, qui eam diei pentecostes asserere malunt. (1) Restat unum temporis momentum, cui Sanctio illa sollemnis N. F. tribui potest, ac, me quidem iudice, debet, hora Iesu fatalis, partim quod ultima Iesu in cruce confessio *τετέλεσται* indicat, nunc omne opus legis uno sacrificio, quod procul dubio ad tempora V. T. pertinet, peractum esse; partim quod post mortem suam Sanctissimus nullam leviticarum legum amplius observavit, id quod tamen in eo inde ab ineunte aetate, ad eam usque vesperam, qua pascha postremo cum discipulis comedit, iisque ultimum vale dixit, observamus; quo facto luculentissime nos edocuit, ea hora, qua legem Iudaicam sequi pergat, N. T. exordia sua nondum duxisse; partim denique,

B 2

quod

(1) VVITSII Oeconomia foederum lib. III. c. 3. §. 12. p. 215.